AUTHOR:

CASTELLANI, GIORGIO

TITLE:

QVA RATIONE TRADITVM SIT M. TVLLIVM...

PLACE:

VENETIIS

DATE:

1894

Master Negative #

91-80182-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Castellani, Giorgio.
Qva ratione traditvm sit M. Tvllivm Ciceronem Lvcretii carminis emendatorem fvisse, dispvtavit Georgivs Castellani. Venetiis, excvdebant fratres Visentini, 1894.
19 p. 23½ cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: (IA) IIA IB IIB
DATE FILMED: 8/20/91 INITIALS RK
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN
ENTRY: CASTELLANI, GIORGIO

Bibliographic Irregularities in the Original Document
List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____ Page(s) missing/not available: ____________

_____ Volumes(s) missing/not available: ____________


_____ Illegible and/or damaged page(s): ____________

_____ Page(s) or volumes(s) misnumbered: ____________


_____ Bound out of sequence: ____________

✓ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: Princeton U.
whole book

_____ Other: ____________








AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202


Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QVA RATIONE TRADITVM SIT

M. TVLLIVM CICERONEM

LVCRETII CARMINIS EMENDATOREM FVISSE

DISPVTAVIT

GEORGIVS CASTELLANI

VENETIIS
EXCVDEBANT FRATRES VISENTINI
MDCCCLXXXXIIII

Haud multa sane sunt quae ex antiquis scriptoribus de Lucretio colligimus, praesertim cum Suetonii liber *de Poetis*, qui sine dubio Lucretii quoque vitam complectebatur, nobis deperierit; scriptores autem, qui Lucretio aequales fuerunt aut aetate, quam Augusteam vocant, vixerunt, vel eum silentio omnino praeterierunt vel nimis pauca eademque non satis certa de eo dixerunt. Ita efficitur, ut de eius patria et parentibus, de eius ortus mortisque tempore, de eius consuetudine cum scriptoribus ceterisque praeclaris viris illius aetatis in obscuro versemur. Quantum contra ad auctoritatem spectat, qua carmen *de Rerum natura* apud poetas proximae aetatis fruitum sit, res magis perspecta nobis est, cum de ea vel antiqui scriptores nos certiores faciant (cf. A. Gell., *N. A.*, I, 21). His autem temporibus nonnulli docti homines, ut Wöhler, Reisacher, Zingerle etc., ante nostros oculos posuerunt permultos Vergilii, Horatii et Ovidii locos ex Lucretii carmine depromptos; sed ex eorum scriptis nihil prorsus in lucem prodiit, quod ad Lucretii familiaritatem cum aequalibus pertineret (1). Ad hanc caliginem aliquantum discutiendam in primis investigare opus est qua ratione traditum sit Ciceronem Lucretii carmen emendavisse.

(1) Munro (*Explan. Notes to Lucr.*, 3, 57) pro certo habuit Catullum imitatum esse Lucretium; sed eum refellit Iessen (*Ueber Lucrez u. sein Verhältniss zu Catull u. Spätern*, Kiel, 1872, p. 1 sq.)

I.

Ex antiquis scriptoribus duo tantum, Hieronymus nempe ac Donatus, de Lucretii vita testimonia praebent. Hieronymi verba (*Eusebii Chron.* ad a. Abr. 1923, ab u. c. 660, a. Chr. n. 94) haec potissimum sunt: « T. Lucretius poeta nascitur. Postea amatorio poculo in furorem versus, cum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit anno aetatis XLIIII. » Donatus autem in Vergilii vita haec habet: « Initia aetatis Cremonae (Vergilius) egit usque ad virilem togam, quam XV anno natali suo accepit iisdem illis consulibus iterum duobus quibus erat natus, evenitque ut eo ipso die Lucretius poeta decederet (1). » In codice Monacensi 14429 (f. X) haec vero leguntur: « T. Lucretius poeta nascitur anno XXVII ante Vergilium. » Ex quibus variis testimoniis, ut perspici potest, eius mortis tempus haud facile est constituere.

Mira sane sunt omnia quae Hieronymus de Lucretio tradidit; ad rem vero nostram praecipue verba spectant, quibus adfirmat Ciceronem Lucretii carmen emendavisse. Re quidem vera vix credibile est Ciceronem, acerrimum Epicureis doctrinis adversarium, operam dedisse emendando carmini illis doctrinis referto. Quapropter Lachmann (*In T. Lucretii Cari de Rerum natura libros Commentarius*, Berolini 1866, l. I, 922, p. 61 sqq.) veritus non est adfirmare Hieronymum verbis illis designare non Tullium maximum oratorem, sed eius fratrem Quintum, hominem in studiis poeticis versatum, neque a philosophia alienum, etsi nulli certae disciplinae addictum. « In re nota » inquit Lachmann « nihil opus fuit ut Ciceronis praenomen poneret, cum nemo ignoraret Quintum intelligendum esse. » Sed haec coniectura nulli fundamento innititur, et cum cognomen tantum a Hieronymo sit prolatum, eius verba ad oratorem, non ad Q. Tullium, sunt referenda. Nihilominus Lachmann sententiam amplexus est Bernhardy (*Grundr. d. röm. Liter.*, 1865[4], Anm. 398), qui ad eam

(1) Sic legit Reifferscheid, qui vitam Vergilii suae editioni Suetonii Reliquiarum inseruit (Lipsiae 1870, p. 54 sqq.). « Anno XVII » habent omnes manuscripti, sed sine dubio librariorum error est.

confirmandam haec verba scholiastae Ciceronis orationis pro Archia (c. 2) retulit: « Fuit Q. Tullius, non solum epici, sed etiam tragici carminis scriptor; » quae, ut facile intelligitur, nihil ad rem conferunt; potuit enim Q. Tullius et epicum et tragicum carmen excolere, neque hac de causa Lucretii poematis emendator esse. Novum tamen sectatorem in J. Voltjer (*Lucretii philosophia cum fontibus comparata*, Groningae 1877, p. 7 n. 1) Lachmann invenit. Sed de hac re verum summa diligentia exquirere consilium nobis est.

Ante omnia, quod ad tempus attinet, nihil impedit quominus Hieronymi testimonio fidem adiungamus; iuxta enim eius sententiam Lucretius natus est anno 660/94, Licinio Crasso Mucio Scaevola Css., ac de vita discessit anno aetatis quadragesimo quarto, nempe anno 704/50; iuxta vero Donati sententiam mortuus est Lucretius eodem die quo Vergilius virilem togam sumpsit, quod factum est a. 699/55, Cn. Pompeio II Licinio Crasso II Css. Nec praeterea dubium, quin ante idus mensis octobris virilem togam sumpserit; idibus enim illius mensis iam annum aetatis quintum decimum exegerat. Quare, Donati sententia, decessit Lucretius paulo ante idus octobris a. 699/55, et cum Hieronymi auctoritate annum quadragesimum quartum tunc ageret, natus erat a. 655/99 (1). Cicero autem anno 648/106 natus est; quo fit ut iuxta Donatum Lucretii carmen anno aetatis quinquagesimo primo emendaverit, iuxta vero Hieronymum anno quinquagesimo sexto. Utcumque se res habet, nihil obstat, temporum rationibus, quominus Cicero id fecerit.

Non desunt profecto viri docti, qui existimant Lucretium ex amicis Ciceronis fuisse. « Quod Lucretius » inquit Th. Bergk (*Ciceronis de Lucretio iudicium*, Marburgi 1846, p. 4) « Epicureus fuit, Cicero autem ad aliorum philosophorum castra se contulerat, id profecto non impedimento est, quominus hos familiaritate inter se coniunctos esse arbitremur. » Nepos enim, qui a philosophia semper abhorruit, ex amicis Ciceronis fuit, Atticus, qui Epicuri doctrinam professus est, Saufeius, quem Epicureum

(1) Animadvertendum tamen est, has Hieronymi Donatique temporum rationes prorsus certas non esse. V. infra p. 11 sq.

fuisse indicat ipse Cicero (1), summo oratori familiares fuerunt. « Consentaneum igitur est » addit Bergk « Lucretium, Attico, qui et ipse Epicureus fuit, familiarem, itaque Ciceroni amicum fuisse. » Quod nos pro certo non habemus; cum enim de hac re antiquorum scriptorum testimonia haud suppetant, id nec adfirmare nec refellere in animo est. Praeterea, etiamsi quadam Ciceronis familiaritate usus sit Lucretius, non ob id tantum censendum Ciceronem eius carmen emendavisse. Neque tamen ad Forbiger sententiam accedimus, qui in Praefatione suae Lucretii editionis (p. 26) adfirmat Ciceronem, etsi voluisset, non potuisse Lucretii carmen emendare, cum a poetica paene alienus esset. Nam, quamvis insignem inter poetas locum non tenuerit Cicero, a poeticis tamen studiis non abhorruit (cf. infra, p. 18 sq.). Munere igitur emendatoris Lucretii carminis recte fungi potuit, etsi non ob hanc tantum causam pro certo sit habendum eum reapse id munus exercuisse. Ad hanc rem definiendam opus est investigare, quid Cicero de Lucretii carmine senserit; quod ex eius scriptis tantum colligi potest.

II.

Cicero in una ex epistulis ad Quintum fratrem (II, 9 [11], 6) de Lucretio loquitur, neque usquam alibi poetam vel eius opus memorat. In illa epistula iudicium de Lucretii carmine profert; verba vero eius haud perspicua sunt, adeo ut de lectione critici dissentiant. In codice bibliothecae Mediceo-Laurentianae (Pl. XLIX, cod. XVIII), omnium sane optimo, haec legimus: « Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt multis luminibus ingenii, multae tamen artis; sed cum veneris virum temptabo, si Sallusti Enpedoclea legeris, hominem non putabo. » Huius codicis lectionem ipse inspexi atque in primis animadverti verbum « temptabo » expunctum esse, ac superius eandem manum, quae summaria in margine exaravisset, scripsisse « putabo, » quae emendatio a criticis omnibus adprobatur, cum « temptabo » nullam vim habeat.

(1) *Ad Att.* IV, 6. De Saufeii familiaritate cum Attico cf. Corn. Nep., *Attic.*, 12, 3.

Ceteri manuscripti, qui minoris momenti sunt, Florentini sequuntur scripturam (1).

Omnes nostrorum temporum docti viri absurdum esse existimarunt Ciceronem dixisse Lucretium multa lumina ingenii, multam tamen artem habuisse, et mendum scripturae eo loco inesse suspicati, veram lectionem coniectura assequi conati sunt. Braun tantum (*Lucretii de atomis doctrina*, Münster 1857, p. 2) manuscriptorum lectionem adprobavit his potissimum verbis: « Ingenium et ars in veterum Romanorum scriptis saepissime opposita inveniuntur, ubi oppositio ipsa minus valida adparet, quam ut alterum, altero excluso, tantum adfirmetur. » Sed nemo eius sententiam secutus est. Munro (*T. Lucretii Cari de Rerum natura libri sex, ed. by H. A. I. Munro*, Cambridge 1886⁴, vol. II, p. 17 sqq.) in dubio fuit num legeret « etiam » pro « tamen, » cum haec emendatio omnium facillima primo adpareret et Ciceronis sententia hoc modo explanari posse sibi videretur: « Lucretius eadem ingenii lumina habuit atque Ennius, sed habuit etiam artem, qua recentiores hi poetae laudantur. » Attamen ad hanc lectionem accedere ausus non est, sed ita legere maluit (vol. II, p. 19): « Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt, multis luminibus ingenii, multae tamen artis *esse* cum *in*veneris, virum te putabo; si Sallustii Empedoclea legeris, hominem non putabo. »

Permulti Ciceronis epistularum editores, ut Ernesti, Schütz, Orelli, existimarunt Ciceronem negasse ingenii lumina inesse in Lucretii carminibus, et ita legerunt: « *non* multis luminibus ingenii, multae tamen artes; » eosque secuti praesertim sunt Lachmann (l. l.) et Bernhardy (l. l.), qui putaverunt Lucretium in argumento a poetica fere alieno versibus saepe exquisitis pertractando, magis usum esse arte quam ingenio (2). Non defue-

(1) Qui codicem florentinum a. 1392 Mediolani, impensis Coluccii Salutati scripsit, diligenter secutus est apographum, quod Franciscus Petrarca manu sua exaraverat ex archetypo, ab ipso summo poeta Veronae reperto. Interiit vero archetypum et apographum. Cf. Bandini, *Catal. codd. Lat. bibl. Med. Laurentianae*, II, qui tamen perperam adfirmat codicem Laurentianum manu Francisci Petrarca esse exaratum. V. De Nolhac, *Petrarque et l'humanisme*, p. 228.

(2) Qui cupiat cognoscere permultas alias eiusmodi coniecturas, adeat Polle, *Die Lucrezliteratur seit Lachmann und Bernays* in *Philol.*, 25, p. 499 sqq.

runt tamen qui censuerint Ciceronem, si dixisset Lucretium non habuisse lumina ingenii, de eo iniquius iudicavisse, cum sex hi libri de rerum natura prorsus ostendant non defecisse poetae ingenii vim, sed potius interdum quendam poeticum nitorem. Quod mirari non possumus, nam argumentum in quo versatur tam arduum est, ut non semper in eo pertractando omnia impedimenta removeri possint. Neque praetermittendum poetam operi suo extremam manum admovere non potuisse. His rationibus fretus Bergk (l. l., p. 5) legendum esse putavit: « Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt; multis luminibus ingenii, *non* multae tamen artis (1); » quam lectionem fere omnes docti viri probaverunt et hi recentiores Ciceronis operum editores, ut Klotz in editione Teubneriana (Lipsiae 1887), secuti sunt. Nos tamen ne lectionem quidem a Bergk propositam esse excipiendam censemus. Cicero enim, Bergk et complurium criticorum nostrae aetatis sententia, pluris fecit Lucretii ingenium quam artem; scilicet ingenii vim poetae non negavit, eum tamen tanquam arte carentem obtrectavit. Quod iudicium satis grave est, cum Cicero profecto non ignoraret Lucretium id sibi praecipue proposuisse, rerum naturam, id est argumentum admodum obscurum atque a poetica fere abhorrens, carmine numero adstricto exponere et poeticis luminibus exornare.

Quidquid est, nos codicum lectionem sequi malumus; nam haud obliti sumus verbum « ars » significare « praeceptionem, quae dat certam viam rationemque faciendi aliquid (Forcellini, v. ars) (2). » Cicero igitur, nostra sententia, censuit multa esse in Lucretii carmine lumina ingenii, multam etiam artem, id est multa praecepta, et revera Lucretius scientiae notiones, rerum denique naturam et disciplinam patefacere cupiit, adeo ut ingenio iure opposuerit Cicero artem (3).

(1) Idem Bergk verba quae sequuntur ita legere proposuit (*Rh. Mus.*, 19, p. 606): « sed [si ad umbili]cum veneris, virum te putabo; si Sallustii Empedoclea legeris, hominem non putabo. »

(2) Cf. Cic. *Orat.*, 55, 183: « notatio naturae et animadversio peperit artem » et ipsius Ciceronis deperditi operis inscriptionem: « De iure civili in artem redigendo. »

(3) Ad codicum lectionem amplectendam me impulit cl. v. prof. A. Tartara, ideoque eum grato animo prosequor.

Perdifficile quidem inceptum sumpserunt qui demonstrare conati sunt Ciceronem operam dedisse Lucretii carmini emendando. Certum est enim atque omnibus manifestum Ciceronem Epicureorum doctrinis acerrimum adversarium semper fuisse. Acriter Epicureos reprehendit, « qui voluptatis patrocinium suscipiant (*de Orat.*, 3, 17, 63); » « qui dicantur praeter ceteros esse auctores et laudatores voluptatis ..... quos adfirmare non pudeat nihil esse praestabilius otiosa vita, plena et conferta voluptatibus; qui asserant vaticinari atque insanire eos, qui dicant dignitati esse serviendum, rei publicae consulendum, etc. (*Pro Sestio*, 10, 23). » Et in Epicureos invehitur « qui adfirment hominem bene sanum non oportere rem publicam capessere (*ibid.*); » et « societatis rei publicae partem nec noscant ullam, neque unquam noverint (*de Leg.*, 1, 13, 39). » Causam cur tot Epicuri discipuli Romae florerent, hanc memorat: « sive quod erat (Epicurea disciplina) cognitu perfacilis, sive quod invitabantur (multitudines) illecebris blandae voluptatis (*Tuscul.*, 4. 3, 6). » Potuitne unquam fieri, ut tam acer tam pertinax Epicureae doctrinae adversarius opus illis doctrinis refertum atque ad eas evulgandas consulto compositum emendaret et ederet? Equidem infitiari non potest Ciceronem Epicurum ipsum appellare « et bonum virum et comem et humanum (*de Fin.*, 2, 15, 49); » nec modo Epicurum, sed Epicureos quoque laudare: « Ac mihi quidem quod et ipse (Epicurus) bonus vir fuit, et multi Epicurei fuerunt et hodie sunt et in amicitia fideles et in omni vita constantes et graves, nec voluptate, sed officio consilia moderantes, hoc videtur maior vis honestatis et minor voluptatis (*ibid.*, 2, 25, 81). » Quam vero laudem minuit his verbis: « mihi videntur melius facere quam dicere; » ac profitetur se Amafini, Rabiri, ceterorumque Epicureorum Latinorum libros nunquam legisse: « Est enim quoddam genus eorum, qui se philosophos appellari volunt, quorum dicuntur esse Latini multi sane libri, quos non contemno equidem, quippe quos nunquam legerim, sed quia profitentur ipsi illi, qui eos scribunt, se neque distincte, neque distribute, neque eleganter, neque ornate scribere, lectionem sine ulla delectatione negligo (*Tuscul.*, 2, 3, 7). » Adfirmat etiam Epicureos litteras fere negligere solere (*in Pis.*, 29, 70) et Epicureorum eloquentiae genus minime aptum ad dicendum esse (*Brut.*, 35, 131).

Haec atque compluria alia quae de Epicureorum doctrinis et de Epicureis scriptoribus in Ciceronis operibus inveniuntur, impedimento nobis esse videntur, quominus putemus Ciceronem Lucretii carmen emendavisse.

Restat ut exquiramus, num ex Ciceronis epistula ad Quintum fratrem nobis liceat fidem addere rebus quae supra adtulimus. In primis est animadvertendum epistulam parvi ponderis esse. M. Tullius litteras ad Quintum fratrem mittere cupit; sed, cum nihil fere habeat quod scribat, de libertate Tenediis negata et de laudibus fratris breviter loquitur; ad extremum pauca addit de Lucretii ac Sallustii carminibus: haec ne esse quidem legenda adfirmat, in illis multa lumina ingenii, multam tamen artem inesse. Sed hoc iudicium eum proferre fratris iudicium confirmantem ex verbis «ut scribis» facile intelligitur. Quibus tamen verbis nonnulli critici magis persuasum habuere Q. Ciceronem Lucretii carminis emendatorem extitisse (Cf. Bernhardy, l. l.). Sed hanc coniecturam optimis argumentis, ut nobis videtur, iam refellimus. Haud igitur dubium Ciceronis iudicium parvi momenti esse: cum duo fratres nil gravius haberent quod scriberent, de rebus minimis locuti sunt et de Lucretii opere aliquid addiderunt. Solebat enim illis temporibus Cicero, cum publica negotia argumenta epistulis non praeberent, de rebus quae ad litterarum studia spectarent, sermonem cum fratre habere. Ita, verbi gratia, epistula VII (IX) eiusdem libri secundi valde gaudet fratri placuisse suum quendam librum, modo editum, cuius exemplum ad eum miserat.

Ciceronis epistula scripta est a 700/54 ineunte, Domitio Ahenobarbo Appio Claudio Css., cum Q. Tullius apud Caesarem legatus in Gallia et in Britannia commoraretur (cf. Munro, vol. II, p. 3). De qua re omnes fere Ciceronis epistularum editores consentiunt. Iam ex eo ipso quod Quintus ad Marcum scripserat quid de Lucretii carminibus ipse sentiret, consentaneum est poema modo editum fuisse. Censet Bergk (l. l., p. 6) M. Tullium Ciceronem, simul atque emendandi laborem perfecit, poematis exemplum ad fratrem, qui tum ruri degeret, misisse, eumque rescripsisse et de poemate iudicium illud protulisse. Optimum criticum fugit Q. Tullium eo tempore in Gallia et Britannia Caesaris legati munere functum esse, non ruri degisse. Ceterum nos quoque cen-

semus Lucretii poema nuper editum evasisse; uterque enim frater iam id legere potuerat. De qua re recte locutus est Purmann (*Iahrb.*, 67, p. 659): « Lucrez konnte natürlich zu der Zeit des Briefes nicht mehr am Leben und doch auch nicht lange verstorben sein. » Sed Polle (l. l., p. 499 sq.) verbum poemata carminis tantum partem indicare arbitratur ac Forcellini auctoritatem (v. poema) ad sententiam suam confirmandam invocat: « Differunt poema et poesis; haec est magnum et totum opus, illud parvum aut pars operis; » quapropter existimat Ciceronem, vivo poeta, partem tantum carminum emendavisse. Quod adprobari non potest; verba enim Hieronymi: « postea amatorio poculo in furorem versus, cum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit . . . » impedimento sunt quominus censeamus Ciceronem operam dedisse carmini emendando, vivo Lucretio.

Profecto lectorem, qui ad nostras quaestiones animum intendit, non fugit parum fide digna esse quae de Lucretii morte tradidit Hieronymus. Adfirmat enim mortuum eum esse a. 703 u. c.; sed, cum haud dubium sit quin Cicero, si operam Lucretii carmini emendando revera dedisset, id post scriptoris mortem fecisset, et cum contra ex Ciceronis litteris certum adpareat poema anno 700 pervulgatum esse, facile intelligitur Hieronymum in enunciando Lucretii mortis anno a vero procul afuisse. Quod animadvertit Bergk (l. l., p. 6 sq.), dicens Hieronymi temporis computationem ex arbitrio esse factam; cum enim Suetonius, ex quo omnia repetiit Hieronymus, temporum rationes non notavisset, chronographus iuxta operis institutum coniectando tempus adiecit (1). Itaque Bergk ad Donati potius sententiam accessit; censuit enim Lucretium anno 699 mortuum esse et M. Ciceronem paulo postea, nimirum post idus mensis octobris illius anni, curam emendandi carminis suscepisse, initio autem proximi anni exemplum ad Quintum fratrem misisse, hunc vero continuo declarasse quid de poemate sentiret. Sed fugit Bergk etiam Donati computationi nullam fidem esse adiungendam. Donatus enim veri simile existimavit, ut censemus, quod Hieronymus, Suetonio auctore, de Cicerone

(1) Has temporum rationes haud certas esse primus ostendit Ritschl, *Parerga Plautina Terentianaque*, vol. I, p. 620 sqq.

Lucretiani carminis emendatore protulerat; sed, cum ex Ciceronis litteris manifestum haberet carmina a. 700 iam pervulgata esse, arbitratus est poetam a. 699 mortuum esse, ut annum eius mortis cum Ciceronis epistulae tempore conciliaret. Denique, ut ad huius rei summam veniamus, de poetae mortis tempore nil certius dici potest.

Hoc tantum pro certo habendum, ineunte anno 700 carmen de rerum natura paulo antea editum esse. Quoniam Cicero, fratris sententiam confirmans, de carmine iudicat, consentaneum est duos fratres totum poema, statim ac pervulgatum, vel saltem maximam eius partem attente et considerate legisse. Neque eos fugit quanti ponderis esset, ac prior Q. Tullius iudicium de eo protulit, posterior Marcus fratris iudicio libenter annuit.

III.

Nonnulli docti viri ex quibusdam Plinii Iunioris verbis Hieronymi testimonium de Cicerone Lucretiani carminis emendatore confirmari existimarunt. Silius quidam Proculus (de quo pauca scimus) Plinium rogavit ut libellos suos legeret atque examinaret an editione essent digni. Plinius ita respondit: «Petis ut libellos tuos in secessu legam, examinem an editione sint digni, adhibes preces, adlegas exemplum: rogas enim ut aliquid subsicivi temporis studiis meis subtraham, impertiam tuis, adicis M. Tullium mira benignitate poetarum ingenia fovisse (*Epist.*, 3, 15, 1).» Horum verborum sententia profecto haec est: Silius Proculus, ut Plinium alliceret ad legendos suos libellos, adhibuit preces, adlegavit exemplum; quae preces fuerint satis adparet ex verbis: « rogas ut aliquid subsicivi temporis etc.; » quod vero fuerit exemplum a Proculo adlegatum colligitur ex verbis: « adicis M. Tullium mira benignitate poetarum ingenia fovisse; » nihil prorsus est quod ad emendationem carminis Lucretii verti possit. Nihilominus Munro (vol. II, p. 3) censuit Proculum ut exemplum adlegavisse Ciceronis Lucretiani carminis emendationem: « quod in libris de rerum natura fecit Cicero » diceret Proculus « fac, quaeso, in libellis meis. » Haec coniectura, nostra quidem sententia, nulli innititur fundamento; Proculus enim, quod ad Ciceronem

attinet, memoravit tantum eius benignitatem erga poetas. Plinii igitur verba non singillatim ad rem certam, ut ad emendationem Lucretii carminis, spectant, sed generatim adfirmant Ciceronem in poetas propenso animo semper fuisse. Ac re quidem vera Cicero poesim et eximios poetas in honore semper habuit. Nonne in Ciceronis operibus laudes poesis ac poetarum passim occurrunt? In oratione pro Archia poeta, ut reliqua Ciceronis scripta praetermittamus, nonne adhibuit Cicero verba, quae nunquam ex hominum memoria excident? Ad hanc igitur Ciceronis erga poetas observantiam respexit Plinius, confirmans quod Proculus ad precem suam sustentandam protulerat. Et verba Plinii: « M. Tullium mira benignitate poetarum ingenia fovisse » in memoriam revocant ipsius Ciceronis verba (*pro Sestio*, 58, 123): « quorum (poetarum) ego semper ingenia dilexi. »

Sed concedamus etiam Plinium Iuniorem verbis illis significasse quod seriore aetate Hieronymus aperte protulit: quid exinde inferendum? Hoc tantum, nostra sententia, fabulam illam iam Plinii temporibus esse pervulgatam. Et re quidem vera omnia, quae de Latinis scriptoribus Hieronymus Eusebii Chronicis addidit, ex Suetonii libro *de Poetis* deprompsit, ut ipse aperte professus est (cf. Reifferscheid, *Suetonii reliquiae*, p. 363); sed Plinius Iunior et Suetonius aequales fuerunt, uterque enim initio secundi saeculi post Chr. n. floruit. Quam ob rem ex Plinii verbis conici fortasse potest opinionem de Ciceroniana Lucretii carminis emendatione eo tempore iam viguisse, eamque amplexos esse Plinium Iuniorem et Suetonium. Nos vero in dubio sumus, num Plinius id pro certo habuerit; de Suetonio autem vix dubitare licet, cum id apud Hieronymum inveniamus. Suetonium nos quoque maximi facimus, non eo tamen pacto ut, eo auctore, Hieronymi adfirmationem temere excipiamus. Atque sententiam Munro (vol. II, p. 2) refellimus, qui censet Hieronymi verbis adsentiendum esse, quia Suetonius, qua fuerit perspicacitate prudentiaque, nihil in scribendis vitis Romanorum virorum inlustrium unquam asseruerit, quod firmissimis testimoniis innixum non esset. Nobis contra videtur Suetonius quoque fabulam in libros suos inserere potuisse. Neque Bergk assentimur, qui dicit (l. l., p. 5) hac ratione licere omnia quae unius grammatici testimonio confirmentur in suspicionem vocare. Non omnia sane grammaticorum testimonia refel-

lenda sunt, attamen ne omnia quidem adprobanda; sed de omnibus, quam rectissime licet, iudicium ferre opus est.

Ad suam sententiam magis magisque confirmandam memoravit Bergk (l. l., p. 5) multos Romanos scriptores munus emendatorum operum amicorum suscepisse, et Ciceronem ipsum usum esse opera et consilio Pomponii Attici in suis libris emendandis et edendis. Neque gravissimus criticus silentio praeteriit Ciceronem ad Atticum scripsisse (II, 16, 4) de emendatione Annalium Quinti fratris: «... ita rursus remittit, ut Annales suos emendem et edam.» Cicero tamen non adfirmat Annales fratris se emendavisse, neque asserit sibi in animo esse hoc munere fungi, sed tantum dicit Quintum a se petiisse ut Annales emendaret et ederet; quod nobis non constat, fecerit Marcus necne. Neminem praeterea fugit, quantum intersit inter emendationem Annalium fratris et carminis Lucretii, cuius etiam familiaritas cum M. Tullio dubia est. Quamvis autem penitus perspectum planeque cognitum non sit argumentum quod Quintus Annalibus tractaverit, ab inscriptione tamen licet suspicari illud ad historicum genus pertinuisse, et ideo cum Ciceronis moribus atque institutis prorsus congruisse.

Solebant Romae homines docti in vulgus emittere opus, quod defunctus amicus reliquisset. Aeneidos libri, ut omnibus notum est, a Tucca et Vario post Vergilii mortem editi sunt «sub lege ea ut nihil adderent» (Hieron. *Euseb. Chr.* ad a. 737); quam legem putandum est Ciceronem observavisse, si revera Lucretii libris edendis operam dedisset. Sed nemo profecto est qui non videat duas res prorsus inter se dissimiles esse. Si Vergilio placuit perpoliendi operis extremum laborem adhiberi ab illis optimis viris sibi coniunctissimis, quibuscum de poetica semper consensisset, haud est credendum Lucretium Ciceroni, quem epicureis doctrinis adversarium sine dubio cognovisset, curam emendandi carminis commisisse.

Etsi non omnia Ciceronis scripta ad nos pervenerunt, recte tamen animadvertit Forbiger (*De T. Lucretii carmine a scriptore serioris aetatis denuo pertractato*, Lipsiae 1826, p. 6) veri simile non esse Ciceronem, qui de rebus suis satis magnifice sentiret, si Lucretii carmen emendavisset, vel in ipsis litteris ad Quintum fratrem, vel in aliis superstitibus operibus id plane non commemo-

rasse. Quam sententiam refellit Bergk (l. l. p. 5), qui existimat in tanta Ciceronis epistularum iactura mirandum non esse quod ipse Cicero nunquam hunc laborem commemoret, ac censet in epistula ad Quintum minime opus eum mentionem huius rei fecisse, cum fratri de opera in Lucretii carminibus emendandis posita plane compertum esse deberet. Omnes sane Ciceronis epistulae ad nos non pervenerunt; sed, cum permultae sint quae nobis legere liceat et cum tot locis suorum operum de Epicuro et de Romanis Epicuri sectatoribus sermonem habeat, mirum profecto est quod semel tantum de Lucretio loquatur, nusquam vero illius carminis emendationis mentionem faciat.

Cetera etiam, quae de Lucretio Hieronymus tradidit, vix credibilia adparent. In fabularum numerum haud dubie reponendum quod narrat de poeta amatorio poculo in furorem verso et aliquot libros per intervalla insaniae conscribente. Lachmann tamen (*ad Lucr.*, I, 922) nihil omnino quod credi non possit in Hieronymianis invenit. Visus enim est ei chronographus non totam poesim per intervalla insaniae conscriptam dixisse, sed aliquam tantum partem. Atque investigationibus suis usque adeo processit, ut nomen etiam uxoris Lucretii se reperisse existimaret. Sed eius coniecturae, ut perspicuum, nulli fundamento innituntur. Quae de Lucretio eiusque uxore narrat Hieronymus nonne revocant in mentem fabulam illam de Hercule et Deianira? Antiquam profecto fabulam assignarunt grammatici poetae, de quo parum constabat. Item ad furorem ei tribuendum inducti sunt a furore poetico, de quo canit Statius (*Silvae*, II, 7, 77):

. . . docti furor arduus Lucreti.

Cum igitur refellenda sint quae de Lucretii morte tradidit Hieronymus, qua de causa adprobemus quae de emendatione carminis eius ipse Hieronymus asseruit? Fabulosa quae narrat cautiores nos faciant, ne temere in errore versemur.

Haec omnia maximi momenti esse animadverterunt etiam qui Hieronymi testimonium comprobaverunt, adeo ut emendationem Epicurei carminis ab acerrimo Epicureis doctrinis adversario perfectam (rem profecto valde mirabilem) probabili ratione enucleare conarentur. Itaque Munro censuit (vol. II, p. 1 sqq.) haud difficile esse Lucretium Ciceronis virtutem in gerenda re publica, eius-

que varium, flexibile, multiplex, praestantissimum denique ingenium admiratum esse, quod conici etiam potest ex nonnullis locis carminis de Rerum natura, quibus perspicuae sunt imitationes Arati poematis a Cicerone in Latinum sermonem conversi (cf. p. 18 sq.). Sed ne hac quidem re nobis videtur Lucretius oblitus esse Ciceronem Epicureae doctrinae adversarium extitisse. Munro tamen censet poetam morti proximum a Cicerone petiisse, ut libros de rerum natura emendaret; Ciceronem vero, ut morientis mandata efficeret, cum nihil in carmine mutavisset, editioni nomen tantum dedisse. Compertum igitur est Munro Hieronymi testimonium multis tantum exceptionibus sequi; quapropter magis magisque ad eius sententiam refellendam inducimur. Nos denique, argumentis supra adlatis innixi, firmiter existimamus Ciceronem Lucretiani carminis emendatorem non fuisse.

IV.

Quod igitur Hieronymus de Lucretii poemate a Cicerone emendato asserit est veritatis expers. Ostendimus vero fabulam illam Hieronymum ex Suetonii libro deduxisse, ac Suetonii temporibus iam esse pervulgatam. Postremum munus nostrum erit diligenter exquirere qua ratione inter doctos viros ille rumor increbuerit. De tempore quo nasci potuit, nihil profecto asserere nobis licet; sed de hoc tantum certiores facti sumus, initio secundi saeculi post Chr. n. inter doctos homines illum iam viguisse; utrum vero ea an superiore aetate initium sumpserit, haud plane constat. Quapropter de hac re missum facimus. Investigandae potius sunt causae vel occasiones, quae Romanos ad illam opinionem duxerint.

Iam vidimus omnia, quae de Lucretii morte nobis tradita sunt, haud satis perspicua vel potius minime fide digna esse. Credi etiam potest ipsos Romanos, Suetonio aequales, de Lucretii vita in dubio fuisse. Lucretius, ut inter omnes constat, opus suum perpolire non potuit; id praecipue colligitur ex frequentibus iterationibus; versus 925-949 libri primi, ut perspicuum exemplum adducamus, iterum legimus initio libri quarti (vv. 1-25). Neque in dubio vocari potest quin veteres grammatici versus in utroque libro legerint, cum eos adtulerint adposito numero sive

libri quarti sive libri primi. Quaestio autem de iterationibus nondum soluta est, cum alii genuinas, alii spurias eas existiment (1). Quidquid de hac re est, veri simile esse videtur Romanos qui, Lucretii libros legentes, has iterationes offenderent, existimasse poetam extremum perpoliendi operis laborem adhibere non potuisse, ideoque aliquem ex suis familiaribus opus ipsum edidisse. Sed sive hic rumor ex opere non perfecto ortus est, sive revera poema editorem quendam habuit, ipsius editoris nomen ignorabatur. Itaque accidit ut grammatici proximae aetatis ex arbitrio existimarent editoris munere functum esse M. Tullium Ciceronem. Sed cur illi docti homines Ciceroni potius quam alii Epicuri sectatori, Lucretio aequali, id munus tribuerunt? Nullius philosophi disciplina magis Romae floruit quam Epicuri, cuius discipuli « multa cum scripsissent, Italiam totam occupaverunt (Cic. *Tuscul.*, 4, 3, 7) ; » et, ut nobis tradidit Cicero (*Tuscul.*, 4, 3, 6), ipsa quoque « multitudo contulit se ad eandem potissimum disciplinam. » De hac quidem re testimonium praebent tot Epicurei, Ciceroni et Lucretio aequales (cf. Woltjer, l. l., p. 1). Ex his permultis Epicureis Lucretii carminis emendator erat eligendus. Attico praesertim vel Cornelio Nepoti, potius quam Ciceroni, hic labor erat tribuendus; Attico nimirum qui, ut ex Ciceronis operibus colligitur (*de Fin.*, 5, 1, 3; *de Leg.*, 1, 7, 21). Epicureae familiae fuit addictus ; Nepoti, qui Lucretium laudibus extulit eumque prope Catullum poetica excellentia locavit (*Attic.*, 12, 4).

Quamvis omnia quae supra exposuimus impedimento essent quominus Cicero Lucretii carmen emendavisset, Suetonius tamen hanc fabulam in vulgus protulit atque auctoritate sua auxit. Cicero Suetonii temporibus vulgo laudabatur tanquam poetarum fautor, ut ex epistula Plinii manifestum est. Ac fortasse veteres Romani pro certo habuerunt M. Tullium Quinti fratris Annales emendasse et edidisse. Lucretii autem carmen ad philosophiam praesertim spectat, ideoque philosophum tantum id edere potuisse censuerunt veteres viri docti, quibus visus est Cicero, maximus Romanorum

(1) Cf. Lachmann (l. l.); Neumann, *de Interpolationibus Lucretianis*, Halis Sax. 1875; Gneisse, *de Versibus in Lucretii carmine repetitis*, Argentorati 1879; Lohmann, *Quaestionum Lucretianarum capita duo*, Brunsvigae 1883 etc.

philosophorum, hoc munere optime functus esse. Hi docti homines, obliti Ciceronem Lucretii opinionibus adversarium semper fuisse, existimarunt eum, qui Platonis *Timaeum* in Latinum sermonem convertisset et omnes Graecorum philosophorum disciplinas mire cognovisset easque Romae optimis scriptis divulgavisset, a poeta iure constitutum esse emendatorem carminis de rerum natura. Et cum Cicero poeticam quoque attigisset, nonnullaque poemata composuisset, eo magis ad id munus aptus visus est.

Complura profecto carmina Graeca et Latina conscripsit Cicero (Plut., *Cicer.*, 2); sed nobis videtur eius Arati carminum interpretatio praecipue Romanos impulisse ad credendum eum Lucretiani carminis emendatorem fuisse. Cicero enim non solum illius scriptoris Φαινόμενα, sed etiam eiusdem librum, qui Προγνωστικά inscriptus est (cf. *ad Att.*, II, 1) e Graeco in Latinum sermonem convertit. Atque Φαινόμενα in latinum Ciceronem iuventute florentem transtulisse ex ipsius testimonio intelligimus; in libro enim secundo (§ 204) *de Deorum natura* Q. Lucilius Balbus, qui de deorum natura ex stoicorum opinionibus disputat, haec dicit: « utar carminibus Arati, eis, quae a te admodum adolescentulo conversa, ita me delectant, quia latina sunt, ut multa ex iis memoria teneam. » Aratum, qui « homo ignarus astrologiae, ornatissimis atque optimis versibus de caelo stellisque dixit (*de Orat.*, 1, 16, 69) » et « non astrologiae scientia, sed poetica quadam facultate (*de Rep.*, 1, 36, 56) » carmina composuit, nonnullis locis operum suorum laudat Cicero. Praeter versus, quos saepe ipse in scriptis refert, 480 versus eius interpretationis ad nos pervenerunt (V. Bährens, *Poetae lat. minores*, vol. I.) Aratus studia scientiae cognitionesque versibus exponere easque in medium proferre cupiit: sed quod sibi proposuerat Aratus, nonne sibi proposuit etiam Lucretius? Quid Lucretius efficere voluerit ex his versibus est perspicuum:

> Nam tibi de summa caeli ratione deumque
> disserere incipiam, et rerum primordia pandam,
> unde omnis natura creet res, auctet, alatque,
> quove eadem rursus natura perempta resolvat (1, 54. sqq.).

Neque est credendum antiquos id fugisse; facile enim erat intelligere Aratum Lucretiumque fere ad rem eandem pertinuisse,

alterum nimirum ad scientiae cognitiones evulgandas, alterum ad rerum naturam exponendam. Hac quidem ratione Romani grammatici pro certo habuerunt Ciceronem, qui Aratea in Latinum convertisset, Lucretiani quoque carminis editorem fuisse. In qua sententia sine dubio confirmati sunt imitationibus Arateorum Ciceronis, quas in Lucretii libris haud difficile est deprehendere.

Harum imitationum exempla primus collegit Munro (*ad Lucr.*, 5, 619), ex quibus pauca hic adferre libet, ut quod asseruimus magis perspicuum sit.

Cic. v. 232:

quorum ego nunc nequeo tortos evolvere cursus

Lucr. 3, 316:

quorum ego nunc nequeo caecas exponere causas;

Cic. v. 237:

. . . aeterno lustrantes lumine mundum

Lucr. 5, 1437:

. . . suo lustrantes lumine circum;

Cic. v. 252:

. . . caeli lustrare cavernas

Lucr. 4, 171 et 252:

. . . et magnas caeli complesse cavernas;

Cic. v. 337:

. . . signa revisunt

Lucr. 5, 636:

. . . quia signa revisunt;

Cic. v. 287:

. . . rota fervida solis

Lucr. 5, 452 et 564:

. . . solis rota . . .

Ex his aliisque eiusmodi exemplis perspicue adparet Lucretium Ciceronis Aratea ante oculos habuisse atque, ut Munro ostendit, passim ea imitatum esse. Hae igitur et quae supra adtulimus sunt, nostra sententia, praecipuae causae, quibus Romani scriptores secundi saeculi post Chr. n. censuerint Ciceronem Lucretii carmen edidisse: quam procul a veritate afuerint, satis, ut nobis videtur, demonstratum est.
